

autem labantur cum mun|do labili, que fiunt ab hominibus in fuga temporis, eternari solent obsequio litterarum. Notum igitur | esse volumus universis tam presentis quam futuri evi fidelibus, quod cum abbatisa et conventus sanctimonialium in Grimme ordinis Cisterciensis allodium situm in loco, qui Wolfheim vulgariter nuncupatur, cum omnibus
 5 suis pertinenciis, insula quadam, que Ztarim dicitur, dumtaxat excepta, que ad idem allodium pertinebat, a fidei nostro Alberto dapifero de Burnis, qui dictum allodium iure castrensis feodi possidebat, empcionis et vendicionis contractu interveniente pro iusto precio comparassent, nos ad honorem sanctissime et intemerate virginis Marie dei genetricis gloriose, cui dicte sanctimoniales specialiter deserviunt, et ob remedium anime nostre,
 10 volentes eis gratiam facere specialem, antedicta bona, licet, ut premissum est, essent castrensia et ad castrum nostrum Turgowe pertinencia, sepe dictis sanctimonialibus et monasterio earundem recepta prius ab eodem dapifero et a suis heredibus resignacione predictorum bonorum et in manibus nostris liberaliter facta in ius et proprietatem dedimus et tradidimus Lomachs in nostro placito provinciali subsecuta forma et omni sollempnitate
 15 iuris, que in talibus donacionibus requiritur et servatur, filiorum nostrorum karissimorum Alberti Thuringie lantgravii et Saxonum comitis palatini nec non Theoderici marchionis de Landesberc accedente voluntate pariter et consensu. Ne vero ex alienacione predictorum in eodem castro nostro Turgowe defectus in castrensibus feodis habeatur, predictus dapifer quinque mansos in villa Chotewiz sitos, quos a nobis tenuit iusto tytulo
 20 feodali, post liberam resignacionem illius iuris nobis factam in restaurum dictorum bonorum castrensiu[m] recepit a nobis iure sive nomine castrensis feodi sibi suisque heredibus eodem iure scilicet castrensis feodi in posterum possidendos. Ut autem predicta nostra donacio rata permaneat et in perpetuum stabilis perseveret, eandem litteram super hoc eisdem sanctimonialibus in testimonium dari fecimus sigilli nostri munimine roboratam.
 25 Testes autem, qui supra dictis interfuerunt, sunt, quorum nomina subsecuntur: venerabilis dominus Witego Mysnensis episcopus, Iohannes burgravius de Witin, Heinricus de Waldowe, camerarius noster Heinricus de Gnanstein, Heinricus dapifer de Burnis, Rudegerus de Schachowe, Heinricus de Siden et alii quam plures fide digni. Datum apud Tarantum per manum magistri Geuehardi prepositi in Hagin nostri prothonotarii anno domini
 30 M C C LXXVII, III idus augusti.

(SFR.)

265.

Friedrich, Bischof von Merseburg, bestätigt dem Nonnenkloster in Grimma den Besitz des Patronatsrechts über die Parochien Bardau und Grimma und stellt zugleich die Einkünfte des Plebans in
 35 *Bardau aus Grethen, Otterweisch, Hohnstüdt, Bernbruch und Groß- und Kleinbardau, sowie dessen Abgaben an den Bischof und an den Archidiaconus fest.* **Merseburg, 1269 Oct. 8.**

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 736. Die beiden SS. des Bischofs und des Domkapitels an Fäden von rother Seide.

Gedr.: Hasche Magazin 6, 204 ff.

40 *Ann.: Vergl. Lorenz Grimma 1296 ff. — Bestätigung der vorliegenden Urkunde durch Pileus s. Praxodis presbyter cardinalis (auctoritate apostolica, qua fungimur) d. d. Nürnberg 1380 Febr. 29, Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 4304 mit dem zerbrochenen S. des Ausstellers an Schwiären von grüner Seide.*